

12

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
QVA DEMONSTRATVR
DEBILITATEM
A PROFVSA FLVIDORVM
EVACVATIONE ENATAM
EORVM COCTIONI SEMPER ESSE
PROPORTIONATAM.

QVAM
FAVENTE SVMMO NVMINE
P R A E S I D E
VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO
DN. FRID. CHRIST. IVNCKERO
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
HVIVSQVE PROFESSORE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII
AC ORPHANOTROPHEI HALENS. MEDICO
PRACTICO CONSTITVTO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS

AD DIEM VI. NOV. MDCCLXV.
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
ALBERTVS GOSWINVS WALTHER

SVSATO-GVESTPHALVS.



HALAE AD SALAM AERE STEPHANIANO.

DISSECTATIO INAVERTIBILIS MEDICA
 QVA DEMONSTRATUR
DEBILITATEM
 A PROFUSA ELVIDORVM
 EVACUATIONE ENATAM
 EORVM COCTIONI SEMPER ESSSE
 PROPORTIONATAM

AVCTORIS
 LAVENTE SUMMO NUMINE
 FRANSIDR
 VIRO EXCELL. ENTISSIMO EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO
DN. FRID. CHRIST. IVNCKERO
 PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
 HAVISVOR. PROFESSORE PVBL. ORDIN. PÆDAGOGI REGII
 AC ORTHOPÆDICI HÆL. S. MEDICI
 PRACTICI CONSTITVTO
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
 PRO GRADV DOCTORIS
 SÆMPTIBVS IN ALMINA HONORIBVS AC FRIVDIBVS
 HÆC O. FRID. IVNCK. P. 1784.

AVCTOR
ALBERTVS GOSWIVS WALTER
 SYLICO-CYRIBALIVS



§. I.

Debilitatis morbosae notio generalis.



Ea est corporis humani ratio, vt in sanitatis vigore non tantum infinitarum fere actionum seriem edat, sed etiam iniurias internas externasque, quae, tamquam totidem hostes, ocyus feriusue interitum minitantes, nos continuo cingunt, arceat, repellat, minuat, superet, deleat. Perfecta itaque et adaequata sanitatis idea, praeter virium omnium agentium, corpori humano quasi institarum, praesentiam, id adhuc requirit, vt iustum earum, in actione constitutarum, robur adsit. *Robur* namque *virium agentium* obtinet, quando in agendo non deficiunt, sed ea ratione agunt, vt actio tanta sit, quanta ad effectum, quem consequi debet, requiritur. Putabitis nunc sanitatem sine virium robore consistere posse? Quid vires quaeſo deficientes iuuarent! Nonne sanitas, adeo leuiter suffulta, citissime corrueret? Quem morbi fugiant a virium defectu provenientes? Quom ea propter virium robur ad tuendam sanitatem absolute necessarium sit: Sanum ideo corpus

humanum concipi inter alia nos oportet, ut id, cuius potentiae omnes in agendo robore gaudent, atque in tantum *robustum* vocatur. Quando autem corpus humanum a robusto defleat, *debile* nuncupatur. *Debilitas* ergo corporis humani huius est conditio, quae ipsi competit, quatenus vires illius, quando agunt, a iusto robore recedunt. Ista debilitas est vel visibus nostris, ut cum GALENO loquar, inepta, vel non. Haec *naturalis*, illa *morbosa* dicitur. Paralysis posterioris, phlegmaticus prioris exemplum suppeditat.

Schol. Ex Physiologia notum est, ad robur corporis humani non sufficere, quando actio, ipsi competens, perficitur; verum opus etiam esse, ut cum duratione quasi quadam perferri queat. Pater ergo hinc, debilitatem morbosam triplici ratione obtineri posse. Nempe 1. quando actio quadam necessaria ob mutationem quandam internam patari plane nequit. Huc paralytici adfectus veri pertinent, 2. quando gradus actionis ob similem mutationem tantus non est, quantum requirebatur. Huc ventriculi debilitas referri debet, quae ciborum digestionem imperfectam reddit, 3. quando actio ob statum corporis internum minus diu continuari potest, sed potius nimis cito languescit, evanescit aut cum incommodo notabili exseritur. Huc omnes reuocari debent, qui a motu musculari intra brevissimum tempus defatigantur. Hinc iam notio debilitatis suppeditata magis illustratur. Noui optime, plurimos in eruenda debilitatis morbosae ratione, cohaesionem partium solidarum tantum respicere. Neque nego a laxitate et rigiditate debilitatem oriri; non omnia tamen hac ratione exhauriri, quae ad ideam debilitatis pertinent, quilibet facile perspicit. Vnicum id docebit exemplum. Docet experientia, ingentem haud raro in febribus malignis debilitatem ex cruditatibus primarum viarum produci, Emeticum lene adhibitum hanc in instanti debilitatem soluit. Quis ergo affirmabit, eandem a laesa partium solidarum cohaesione proficisci? Vera tamen nihilo minus aderat debilitas. Tandem notandum hic est, dari spuriam quasi quandam debilitatem, a vera maxime diuersam. Haec nempe oritur, quando solidis corporis humani, licet satis robustis, nimia exoritur resistentia, v. g. in corpore plethorico. De spuria hac debilitate minime loquimur.

§. II.

Debilitatis morbosae Species et causae.

Demonstratur in Physiologia, robur corporis humani proximius a viribus partium firmarum pendere, has vero tam a cohaesione, qua gaudent, quam a neruorum actione proficisci. Quoniam nunc debilitas robori corporis est opposita (§. I.): sequitur, hanc modo a cohaesionis, modo a neruorum vitio originem suam sumere. Duplex itaque existit debilitatis Species; vna ex cohaesione laesa, altera ex neruorum mala subnascitur adfectione. Vtraque paullo exactiori scrutinio subiicienda est. Cohaesio solidi triplici modo laedi potest. Vel enim solutio continui, vel laxitas nimia, vel rigiditas in solido laeso locum obtinet. Laxitas nimia, cum vires solidarum a cohaesione pendentes, imminutas reddat, manifesta erit debilitatis causa (§. I.) Rigiditas porro vires partim minuit, irritabilitatis et sensibilitatis exemplo, partim impedit, quo minus sufficienter agant, quod vasa sanguifera in rigido corpore vel sola testantur. Hinc rigiditas quoque ad causas debilitatis referenda erit (Sch. §. ant.) Solutio demum continui efficit, vt in solutis solidi punctis vires, a sola cohaesione pendentes, plane desinant. Nonne itaque erit debilitatis causa? Omnia itaque simplicia solidorum vitia debilitatem ingenerare valent. Experientia haec confirmat. Phlegmatici enim, fenes et vulnerati vera debilitate laborant. Sicuti vero cohaesio laesa, ita imminuta quoque neruorum actio debilitati fauet eamque producit. Actionem neruorum tam a solida eorum parte, in tremorem abrepta, quam a subtilissimo et elastico fluido, minimos canales nerueos penetrante, reperunt Physiologi. Suppono haec, de eorum veritate nunc minime disputaturus. Poterit vero, his assumtis, debilitas solidarum, ob imminutam neruorum actionem oriunda, tam a lan-

guente et perditio staminum solidorum tremore, quam ab impedita, aut plane sufflaminata fluidi elastici actione suboriri. Ille a nimia laxitate, rigiditate et plenaria neruorum solutione pender; unde fit, vt neruo abscisso sensus et motus deleatur atque aquosa et rigida subiecta sensibilitatis decrementum experiantur. Haec vero a copia fluidi elastici nimium imminuta, ab illius motu aut languente aut plane desinente, a mixtione istius alterata, a vitiiis demum staminum solidorum modo recensitis producitur. Somnolentia, somnus ipse, adfectus Soporosi, lipothymia, syncope et paralyfes has debilitatis causas a posteriore docent. Nullum ergo erit dubium, quin corporis debilitas ab impedita quoque neruorum actione ortum trahere queat.

§. III.

Debilitas morbosa ab euacuatione fluidorum profusa.

Haecenus dicta eo tantum fine adducta sunt, vt debilitas morbosa, ab euacuatione fluidorum profusa enata, diiudicari atque ex causis suis erui possit. *Euacuatio fluidorum est profusa* quando sanitatis statum nimium excedit. Quodsi nunc ad §. anteced. enicta referatur: facile patebit, omnes ferme abinde debilitatis Species subnasci posse. Debilitat nempe i. quatenus cohaesionis vitia inducit. Fluida corporis humani materiam nutritiam continere, ex Physiologia constat. Quando itaque profusa eorum oritur euacuatio, fieri omnino tunc poterit, vt nutritiae particulae nimium corpori detrahantur. Tunc vero opus erit, vt nutritio languescat pluraque in solidis interstitia nascantur, quam status sanitatis sibi vindicet. Hinc vero laxior cohaesio et causa debilitatis enascitur (§. anteced.) Praeterea, euacuatione fluidorum profusa contingente, massa fluidorum in corpore nimium immunitur;

nuitur; cor et vasa, decreſcente reſiſtencia, debilius agunt; laeditur ſanguificatio; vnde tam aquoſum, quam mucolum generari poteſt, nouae laxitatis cauſſae (per Pathol.), et debilitatis (§. anteced.) Non ſola tamen laxitas nimia hinc a profuſa fluidorum euacuatione euenit, ſed, quod primo intuitu vix crederes, rigiditas ipſa eſt praematura ſeneſtus. Notauit id *Illustr. LVDWIGVS Inſtitur. Phyſiolog. §. 608.* Neque ratio lateret. Fluida namque ſolida humeſtant, ad haec motu continuo adpulſa. Quodſi nunc fiat, vt profuſa oriatur euacuatione: continget hinc, vt humeſtatio ſolidorum deficiat. Sponte itaque, vi ſua inſita, ſeſe tunc attrahent horum elementa atque id maiori in gradu, quam ſanitas concedit. Nacetur ergo cohaeſio ſolidorum naturali maior, quae rigiditas vocatur. Accedit, quod copia fluidorum profuſa excretionem nimium decreſcente n̄ efficiatur, vt vasa proprio ſuo niſu et elementorum attractione in minus ſeſe contrahant ſpatium, hincque iterum rigiditas ad actum deducatur. Demum fluida relicta ipſa, motu propter profuſam excretionem nimium languente, ſpiſſitudinem impetrare poſſunt, quae noua rigiditatis cauſſa exiſtit. Conſtat iam ex his, profuſam fluidorum excretionem ob induſtam quoque ſolidorum rigiditatem debilitare (§. antec.) Tandem ſolutionem etiam continui eiſmodi excretio infert, idque varias ob cauſſas. Dum enim eiſmodi excretio aliunde, vt haecenus conſtitit, debilitat, fluidorum motus, digeſtio et ſanguificatio laeduntur, quo ipſo blanda fluidorum noſtrorum natura tollitur. Patet ergo inde acrimonia, quae rodentem ſuum exſeret effectum atque continui ſolutionem in ſolidis produceret. Huic alia iam cauſſa addi poteſt. Quando nempe fluida magis aquoſa profuſe euacuuntur, nil fere niſi craſſior fluidorum pars remanet. Haec tunc, acrioribus, quibus ſcater, particulis per aquoſum nimis eduſtum non diluta, magis magisque ideo rodet et continuum ſolidi ſoluet.

Quodſi

Quodsi autem cum aquoso crassamentum quoque nimium quantum excernatur: continget hinc, ut excretiones postmodum ferofae languidiores reddantur; atque hinc ideo accumuletur; roden- do demum continui solutionem inferens. Quum ergo euacuatio fluidorum profusa solidi continuum soluere queat; a solutione vero continui singularis corporis humani enascatur debilitas (§. ant.): nullum erit dubium, quin denotata exercetio ob continui solutionem, quam profert, causam debilitatis suppeditet. Elucefcit itaque ex haftenus dictis, excretionem fluidorum enormem omnes debilitatis species procreare, quae a cohaesionis vitiis or- rum trahunt. Verum latius sese extendit, atque debilitati corpo- ris ideo quoque fauet 2. quod neruorum imminuat actionem. Demonstrauimus profusam fluidorum excretionem laxitatem, ri- giditatem et continui solutionem solidis corporis humani partibus inducere. Quae cum generatim eueicta sint, ad neruos etiam ad- plicari possunt. Atqui ab istis neruorum vitiis oritur debilitas (§. ant.) Nonne ergo exercetio profusa neruorum actione debilitata robur corporis franger? Praeterea fluidi neruei copia, motus et mixtio peruertuntur, dum fluidorum corporis nostri copia, mo- rus et blandities decrefcunt. Vnde non poterit non debilitatis proficifci causa (§. antec.)

§. IV.

Diuerfitas huius debilitatis respectu gradus.

Morbos corporis humani gradu differre, vel sola common- strat experientia. Idem vero de ea quoque debilitatis specie, quam profusa fluidorum exercetio ingenerat, quamque §. anteced. consi- derauimus, valere, pauca nos docebunt momenta. Haec nempe diuerfitas prouenit, 1. a diuerfa fluidi exercetio copia. Exercetio fluidi pro-

profusa, licet quocunque in casu ita contingat, vt fluidum copiosius, quam sanitas corporis concedit, excernatur, poterit nihilo minus respectu copiae fluidi excreti iterum differre atque id ea ratione, vt vnum idemque fluidum nunc maiori, nunc minori in copia eliminetur. Quoniam ergo profusa excretio generatim debilitat idque ob imminutam fluidi excreti copiam in corpore (§. ant.) sequitur, excretionem profusam tanto magis debilitare, quanto maior, caeteris iisdem manentibus, copia fluidi sub eadem effunditur. Exempla haemorrhagiarum efferarum, inter se collata, id manifesto docent. 2. *a celeritate diuersa, qua fluidum sub profusa excretionem expellitur.* Dum scilicet excretio profusa oboritur, tempus necessario quoddam praeterlabi debet, antequam excretio profusa reddatur. Nunc, docente id experientia, insignis respectu huius temporis excretiones inter profusas obseruatur differentia. Atque hinc alia celerius, alia tardius subnaescitur. Quo celerius autem obuenit: eo magis debilitat; quo tardius vero generatur: eo minori quoque in gradu debilitatem infert. Facile id patet. Excretio profusa, celerius alia contingens, celeriore etiam inducit debilitatem (§. anteced.), tardius vero enata tardiore (§. cit.). Atqui notum est, mutationem quandam eo magis corpori esse nociuam, quo celerius ei infertur. Ergo etiam excretio profusa eo magis nocebit et debilitabit, quo celerius contingit, quoque breuiore temporis absoluitur spatio, modo reliqua plane eadem sint. 3. *ab impetus diuersitate.* Quo maiore enim cum impetu excretio profusa exoritur: eo celerius contingit eoque maiore in copia fluidum sub eadem expellitur; quo minore autem cum impetu enascitur: eo tardius obuenit eoque parciore in copia fluidum extra corpus effunditur. Quae ergo maiore cum impetu fit, magis debilitabit, quam ea, quae minore cum impetu stipata est (num. 1. 2.).

4. *a diuersa fluidorum profusa excretionē euacuatorum praestantia.* Quo praestantius enim est fluidum quoddam corporis humani: eo magis robori eius inferuit, prouti id partim ex praeceptis physiologicis, partim ex consideratione fluidorum specialiori facile innotescit. Quando itaque fluidum quoddam, profusa excretionē, corpori detractum, alio est multo praestantius: fieri aliter non potest, quin robur abinde corporis magis infringatur, hinc maiorem debilitatis gradum producat. Quo magis contra ea fluidum, per profusam euacuationem expulsum, a praestantioris fluidi natura recedit: eo minor quoque hinc metuenda erit debilitas. 5. *a frequentia diuersa.* Quo frequentius enim profusa contingit euacuatio: eo maior fluidi effunditur copia (n. 1.). Ex haecenus allatis summa nunc momenta, quae in diiudicanda debilitatis, ab euacuatione fluidorum enormi pendentis, prognosi et natura attendi merentur, constant et inclarescunt. Negari interim non potest, accidentales istas, quae circumstant, res saepe saepius a Medico etiam considerari debere. Haec vero a me, utpote nimium a mea tractatione alienae, omitti possunt.

§. V.

Cotio fluidorum quid?

Quum de causis, quae faciunt, ut debilitas corporis a profusa fluidorum euacuatione eueniens eorum cotioni semper proportionata sit, differere apud me constituerim: generalia equidem huius aetiologiae fundamenta ex §. anteced. hauriri nos oportet. Quoniam vero longe facilius tota haec res expediri potest, quando cotionis, quam in fluidis humani corporis assumimus, natura antea innotuit: hanc paullulum delineare iuuabit. Notum est ex
Phy-

Debilitas a profusa fluidorum euacuatione enata. II

Physiologia, corpus humanum ab internis et externis caussis, in summo etiam sanitatis fastigio, destrui. Opus hinc est, vt damnum inde meruendum arceatur atque lacuna facta expleatur. Fit hoc, dum copia fluidorum restituitur, solidis vero ea adplicantur, quae iisdem decesserunt. Vt vtrumque adipiscatur corpus humanum: siti et fame ad assumenda solida et fluida impelluntur homines; graues enim istae et non perferendae, nisi sopiantur, sensationes hortantur quasi homines, vt id, quod conducit et salutare est, peragant. Ista vero assumpta nondum ita comparata sunt, vt salutem afferant, nisi actio corporis demum accedat. Hinc manducatione, digestionem, chylicationem, sanguificationem magis praeparantur; vnde tandem ita mutantur, vt in naturam quasi corporis humani transiisse dici queant, atque tunc *cocta* vocantur, quibus *cruda* opponuntur. *Coctio* itaque erit mutatio assumptorum in naturam corporis humani. *Coctio* vero *fluidorum* erit mutatio eorum in eam naturam, quae fluidis corporis humani vere competit et competere debet. Dantur ergo huius coctionis gradus. Quo plures enim, quo maiores, quo diuturniores actiones requiruntur, vt crudum quoddam fluidum coctum euadat: eo maior erit huius fluidi coctio. Quo minus vero illa obtinent: eo minor erit coctio. Physiologia multa huc facientia docet, quae adplicari debent.

§. VI.

Transitus ad specialem tractationem.

Quando debilitatem corporis, ab euacuatione fluidorum profusa prouenientem, eorum coctioni proportionatam esse affirmamus, id contendimus, quod ista debilitas eo sit maior, quo maior est coctio, quae ad illius praeparationem requirebatur; eo

vero minor, quo debiliorem coctionem in corpore eius postulabat praeparatio. Cum coctionis itaque gradu aut crescit, aut decrevit debilitas, quae enormem sequitur euacuationem. Quae assumpta propositio, ut rite enodetur, causas huius rei afferemus atque dein exemplis quibusdam corroborabimus. Ista autem partim ex §. IV. partim ex natura coctionis, §. anteed. delineata, partim ex nonnullis aliis, a Physiologia et Pathologia desumptis, propositionibus apparebunt. Quumque hac in re totius nostrae disputationis cardo sit positus: quam maxime conandum est, ut omnes illius suppeditentur causae atque ex eius modi propositionibus deducantur, de quarum veritate vel nemo dubitat, vel leuiori attentione certus reddi, vel demum probabilis ratione conuinci potest. Non semper nobis in Medicina licet, summum certitudinis gradum attingere: probabilitate itaque tunc contenti esse debemus.

§. VII.

Causa prima.

Sub fluidorum coctione tam solida, quam fluida corporis humani operantur. Illa enim impellendo, agitando seque contrahendo assumpta praeparant; hae vero admixtione, dilutione, motu, stimulo et resolutione concurrunt, ut assumptorum in humanam naturam transitus eo facilius contingat. Patent haec ex §. V. et Physiologia. Ipsa itaque fluidorum coctio, sibi relicta, vires corporis humani frangit atque exhaurit. Quum enim, ut diximus, solidorum validam requirat actionem, hanc vero certo certius proportionata sequatur eorum destructio et debilitas: nullum erit dubium, quin firmae corporis humani partes ab ipsa fluidorum coctione debilitentur atque hinc totum hocce

hocce corpus debilitatem contrahat. Non tantum vero ob solidorum actionem corpori a coctione infertur debilitas, sed accedit ad huius iam euitam alia a fluidorum mutatione, per coctionem inducta, desumpta caussa. Quum enim fluida, ad coctionem concurrentia, non possint non consumi: sponte hinc demum noua corporis orietur debilitas. Haec ipsa in sensus cadit. Quem enim fugit sub coctione molestam lassitudinis sensationem ab hominibus percipi, semper tanto maiorem, quo magis adhuc cruda adsunt, quae coctione indigent? Quae vero cum ita sint atque quamlibet coctionem, in fluidis perficiendam, corporis excipiat debilitas, certo certius exinde constat, opus esse, vt ipsa haec debilitas gradui coctionis respondeat. Fluidum ergo magis coctum, magis etiam, solius nempe coctionis respectu, debilitat; minus vero debilitabit coctio, quae fluidum minus coquendum requirit. Finge nunc fluidum, maiore demum coctionis gradu impetrandum, profusa excretionem euacuari. Quum omnem eiusmodi excretionem debilitas corporis sequatur (§. III.): in hoc etiam casu minime deficiet. Quoniam autem illius coctio iam valide debilitat, vt demonstrauimus: priori debilitati noua et grauis accedit; vnde gradus debilitatis, a profusa excretionem prouenientis, insigniter crescit. Finge contra ea fluidum corporis humani, leuiore coctionis gradu restituendum, enormi excretionem effundi. Orietur equidem tunc vera debilitas (§. III.). Verum, cum iam praesens ab eius coctione nata debilitas longe minor sit, necesse est, vt minor etiam debilitatis gradus enormem eius sequatur excretionem. Patet hinc inter alia, quae adferre possem exempla, cur lac sine insigni debilitate tanta in copia in sequiore sexu perdi queat, sanguis contra ea, aequali isti copia euacuatus, magnum roboris adferat detrimentum? Lac enim nil aliud est, quam chylus

quodammodo iam coctus, vltiore demum coctione in sanguinem commutandus. Sanguis ergo vt fluidum considerari debet, quod magis est coctum, quam lac. Quoniam nunc modo demonstratum est, euacuationem tanto magis debilitare, quanto maior ad fluidum euacuatum requirebatur coctio: sanguinis etiam euacuatio, lactis excretioni quoad copiam aequalis, hac longe magis debilitabit. Haec ergo prima erit causa.

§. VIII.

Causa secunda.

Quemlibet mihi concessurum esse arbitror, quod, coctio fluidorum vera, primaria sit, vt sanitatis, ita etiam roboris perdurantis causa. Efficit enim, vt diximus §. V. vt assumpta in humanam commutentur naturam, hinc nutritio solidorum et optima restitutio fluidorum perficiatur. Quum iam hisce actionibus et sanitas inuitatur et verum corporis humani robur: coctio fluidorum vera non poterit non huius primaria existere causa. Languens itaque fluidorum coctio et imperfecta robur franget et debilitabit, idque sic tanto magis, quo magis languet quoque magis a statu sanitatis recedit. Nunc autem ex Physiologia cognitum habemus, quod fluida corporis humani cocta aliorum porro inseruiant coctioni, hocque breuibus iam §. ant. notauimus. Quodsi ergo eiusmodi fluidum deficiat: coctio minus recte perfici potest. Languescet tunc itaque haec et orietur debilitas. Quoniam autem fluida corporis humani, quatenus sunt cocta, aliorum coctioni fauent: debilitas, ab eorum defectu pendens, eo debet esse maior, quo magis illud fluidum, quod deficit, coctum erat aut coctum deprehendi debebat. Concipe nunc iam profusam fluidi magis cocti euacuationem euenire; erit tunc omnino

omnino necesse ut debilitas oriatur (§. III.). At enim vero cum illud nunc deficiens fluidum aliorum praeparationem et coctionem valdopere impedit: noua et quidem magna debilitas priori accedit. Vnde gradus debilitatis valde insignis enascitur. Fac vero enormi in quantitate fluidum minus coctum euacuari. Non aberit sane debilitas (§. III.), quum vero minus aliorum fauet coctioni, haec quodammodo illaesa adhuc persistere potest, quo fit, ut longe minor debilitatis gradus a profusa istius fluidi euacuatione efficiatur. Lympha, semen, neruorum fluidum, bilis, perspirabilis materia, vrina exemplo hic esse possunt. Verum de his nonnulla fusius dicam, quando caussae, quas affero, ad specialiora quaedam exempla in subsequenibus applicabuntur. Missa itaque haec iam facio.

§. IX.

Tertia caussa.

Quodsi demonstrari posset, fluida corporis humani tanto magis robori et viribus inferuire, quo magis sunt cocta, eo vero minus ad sustentandas huius corporis vires conferre, quo minus cocta reperiuntur: nullum sane foret dubium, quin enormis magis coctorum fluidorum euacuatio multo maiori in gradu debilitet, quam similis excretio, respectu vero fluidorum minus coctorum obueniens. Conabor itaque priorem illam propositionem ex certis deducere veritatibus. Causas roboris, in corpore humano praesentis, diximus §. II. quae ergo hic in auxilium vocandae sunt. Cohaesio primo solidorum sana causa est roboris, corpori nostro competentis (§. II.). Haec vero certo certius fluidum sibi vindicat maiori coctione praeparatum. Etenim a nutritione pender, quae supponit, ut in minima etiam solidorum

darum partium interstitia fluidum adigatur. Eiusmodi vero adpositio cum non nisi a fluido valde tenui perfici queat; tenuitas praeterea nostrorum fluidorum qualitas sit, quae coctione demum conuenienter impetratur: certo certius exinde concludendum, quod robur corporis humani, quatenus a cohaesione solidorum proficiscitur, fluidum, maiore coctionis gradu enatum, postulet. Qui nunc praeterea perpendit, materiam nutritiam cum tenacitate blanditiem habere; qui cogitat, has qualitates non nisi coctione nasci; facile is concedet, robur corporis humani respectu cohaesioni tanto esse maius, quo magis a fluido bene cocto determinatur. Nonne lympa, a qua solidorum producitur cohaesio, eminet fere inter fluida cocta? Altera roboris corporis humani causa in neruorum later actione (§. II.), quae potissimum a fluido pendet, quod per neruorum vehitur canales (per Physiol.). Cauum horum canalium adeo est angustum, vt ne armatis quidem oculis vsurpari queat. Nonne itaque fluidum, in iisdem contentum, tenuissimum erit subtilissimumque? Nonne inter omnia fluida corporis humani optime debet esse coctum? Nemo id negat, qui praesentiam fluidi neruei largitur. Hinc illa quoque roboris corporis humani pars, quae a neruis pendet, fluidum maxime coctum requirit. Quodsi ergo vtraque huius roboris causa coniungatur, exinde patescit, robur tanto fore maius, quanto magis fluida sunt cocta, quae ad illud efficiendum concurrunt. Eadem propositio breuius adhuc et alio modo demonstrari potest. Vtus coctionis in eo consistit, vt corpus humanum conseruetur; quod ergo eo certius, eo melius fiet, quo melior est coctio. Hinc fluida maxime cocta maxime etiam eius inseruient conseruationi. Cum conseruationis vero gradu crescit quoque roboris magnitudo. Quare fluida eo magis robur producent, quo magis sunt cocta. Poterit etiam vtilis haec

haec propositio sic euinci: Coctio quo maior est, eo maiorem habebit vtilitatem in corpore humano et eius perfectionem promovebit. Summa vero huius corporis perfectio in roboris conseruatione latet (§. I.) Ergo quo maior est coctio fluidorum eo maius roboris augmentum producit. Quum itaque tam multiplici ratione probatum sit, veram esse priorem illam propositionem, quam in limine §phi enuntiaui: sequitur etiam, debilitatem corporis, quae profusam fluidorum excipit euacuationem, eo esse maiorem, quo magis, quae euacuantur fluida, cocta sunt. Confer. etiam hic ea, quae §pho anteced. dicta sunt. Haec enim nouum pondus modo demonstratis adiciunt.

§. X.

Causa quarta.

Nullius certe vtilitatis essent vires corporis humani, nisi agerent et agendo effectus producerent. Quodsi ergo corpori illud ipsum subtrahitur, quod vires corporis humani ad actionem quasi prouocat, non poterit non insignis exinde oriri debilitas. Quo magis autem fluida cocta sunt, eo magis etiam ad subeundam stimuli functionem apta sunt. Fluidum nerueum et semen exemplo esse possunt. Nonne itaque iterum ob hanc causam debilitas, quam dicimus, fluidorum coctioni proportionata est? Verum est, dantur fluida minus cocta, quae ob acres particulas satis potenter stimulant, quod bilis exemplo discimus. Eiusmodi vero fluidorum irrationes iis vere esse minores, viliores minusque necessariae, quae a fluidis maxime coctis pendent, plura suadent phaenomena. Quum vero haec satis facile pateant vel ex sola experientia: iisdem recensendis facile superfedere possum, idque eo magis, quo clarius patet, in comparandis rebus plura momenta attendi debere.

C

§. XI.

§. XI.

Caussa quinta.

Quaelibet corporis humani potentia ad determinandum eius robur concurrir (§. II.). Cuiuslibet ergo potentiae defectus aut decrementum debilitatem infert (§. II.). Haec autem procul dubio tanto erit maior, quo nobilior est vis, a cuius defectu originem suam funit. Ista itaque profusa fluidorum euacuatio, quae praestantiorem potentiam minuit, longe magis debilitabit, quam quae minus nobilem vim aut delet, aut infringit. Verum quo magis fluida sunt coëta, eo praestantioribus viribus sustinendis inferuiunt. Id fluidum nerueum docet, quod sensui et motui fauet, quae actiones a sensibilitate et irritabilitate proueniunt, potentissimis pariter atque praestantissimis corporis humani potentiis. Semen et lympa non minus hanc propositionem corroborant. Constat itaque de nouo, debilitatem a profusa liquidorum euacuatione tanto esse maiorem, quo magis fluida, quae enormi in copia euacuantur, coëta fuerunt.

§. XII.

Caussa sexta.

Debilitas corporis morbosa numero inter alia functionum, quae languescunt, proportionata est. Quo plures ergo ab euacuatione fluidorum enormi languescunt functiones, eo maior erit, quam induxit, debilitas. At enim vero fluida maxime coëta omnibus corporis humani functionibus inferuiunt. Lympa, sanguis, fluidum nerueum, quid? quod ipsum semen luculenter haec demonstrant. Fieri ergo aliter non potest, quin omnes functiones corporis humani a profusa istorum liquidorum

dorum euacuatione languescant, hinc longe maior nascatur debilitatis gradus, quam eo in casu, ubi fluida minus cocta profuse euacuata sunt.

§. XIII.

Causa septima.

Fluida cocta, quando profuse euacuantur, haud raro cum insigni corporis nisu excernuntur. Quem fugit, quanta cum musculorum actione semen eiacularur? Quoniam nunc hicce impetus longe maior est eo, quo fluida minus nobilia generatim euacuantur; eundem vero proportionata excipiat debilitas: sequitur iterum, debilitatem corporis, a profusa euacuatione productam, eo esse maiorem, quo magis fluida excreta sunt cocta. Conf. PISSOT *Dissert. phys. sur les Malad. produit. par la Masturb.*

§. XIV.

Causa octaua.

Debilitas corporis humani morbosa, quando contigit, functiones minuendo se ipsam auget. Quo difficilius ergo species quaedam eiusmodi morbosae adfectionis curatur; quo maiora obiciuntur medenti obstacula: eo erit grauior, eoque maius abinde damnum iure maximo erit metuendum. Atqui debilitas, ab euacuatione fluidorum magis coctorum profusa proficiscens, curationi magis resistere debet (§§. V. VIII. XI. XII.); quam ea, quae euacuationi enormi fluidi minus cocti originem suam debet. Ergo necesse est, vt fluidorum euacuatione enormis tanto magis debilitet, quo maior fuit fluidorum euacuationum

cuatorum coctio. Debilitas itaque ob hanc causam coctioni erit proportionata.

§. XV.

Causa nona.

Diximus §. IV. cum celeritate et frequentia, qua fit euacuatio profusa, crescere debilitatis gradum, abinde pendentis. Verum illud momentum quam maxime quadrat in fluidorum magis coctorum euacuationem enormem. Parca seminis quantitas excreta longe magis debilitat, quam copia sanguinis multo maior. Nonne itaque istius fluidi euacuatio facile profusa euadet? Quum etiam venereae cogitationes, cum ista euacuatione coniunctae, demum in consuetudinem abeant: nimis facile contingit, vt, quando profusa vniquam obuenit seminis excretio, huius demum sponte frequentia insolita subnascatur. Quod de femine dixi ad alia nonnumquam fluida prae ceteris cocta applicari potest. Nona ergo exinde elucescit causa, quae docet, debilitatem corporis, enormem fluidorum excretionem subsequentem, horum coctioni esse proportionatam.

§. XVI.

Exemplum a fluido nerueo desumptum.

Varias hactenus in medium attuli causas, quae tamquam totidem rationes considerari possunt, quibus ea, quam demonstrandam susceperam, fulcitur et corroboratur propositio. Ipsa etiam experientia adeo luculenter, adeo frequenter eandem comprobat, vt bellum ipsi veritati indixisse videretur, qui eandem in dubium vocare sustineret. Ne vero quidquam hic deesse videatur: pauca exempla afferam, quae euictam veritatem extra omnem dubitationis aleam ponere possunt. Eligam hic fluidum

ner-

nerueum et semen, quae eminent inter fluida, quae cocta dicuntur. Quod primo illud fluidum attinet, quod neruorum permeat canales; erit id certo certius fluidum maxime coctum, idque ipsemet in superioribus, quantum praefens requirebat tractatio, euincere anisus sum. Verum summe damnosi quoque sunt effectus, qui a profusa illius euacuatione pendent, siue nunc haec a speculabundis mentis cogitationibus, siue a motu corporis excedente originem suam sumat. Dum sensationi et motui prosit hocce fluidum; dum sensibilitatis et ex parte irritabilitatis causam in se contineat: sensus, motus, sensibilitas et ipsa irritabilitas a profusa illius euacuatione imminuuntur. Quanta vero hinc mala! quanta damna in corpore oriuntur. Animae actiones minuuntur, peruertuntur; memoriae oritur defectus; cerebrum insigniter turbatur et debilitatur; paralyfes nascuntur; laeditur ciborum digestio; chylicatio et sanguificatio decrementum capiunt; mala fluidis inducitur crasis; laesiones viscerum variae, spasmi aliaque hinc deducenda mala in scenam prodeunt. Haec vero omnia ex inducta demum, per profusam fluidi neruei euacuationem, debilitate oriuntur. Nonne itaque haec est in proposito casu insignium damnorum mater? Debilitas ab aliis minus coctis fluidis, post eorum enormem euacuationem, oriunda longe minus nocet. Nonne ergo hoc exemplum docet, debilitatem coctioni fluidorum esse proportionatam, si ab eorum profusa euacuatione profiscatur? Nemo id negabit, qui allatum exemplum attenta mente considerat.

§. XVII.

Exemplum a spermate desumptum.

Semen humorem magnae esse dignitatis, Physiologi enunciant; sed hi ipsi quoque demonstrant, fluidum illud lympham esse valde

22 *Dissertatio inauguralis medica, De bilis a profusa fluidorum &c.*

coctam et praeparatam, propiusque ad fluidi neruei naturam accedere. Quae cum ita sint: dubium etiam non est: quin cum fluido nerueo inter cocta corporis humani fluida emineat. Verum obseruamus quoque profusam illius excretionem quam maxime debilitare. Integrum hac de re tractatum composuit *PISSOTVS*, quem citauit et pulchre damna delineat, quae a profusa ista euacuatione oriuntur, eademque variis exemplis et obseruationibus partim propriis, partim alienis confirmat. Non adducam illa, cum partim ex citato tractatu melius cognosci possint, partim cum iis conueniant, quae a profusa fluidi neruei euacuatione proficiscuntur. Quodsi autem iterum hic comparatio instituat inter debilitatem, a feminis nimia excretionem ortam, et eam, quae a minus nobilis humoris profusa euacuatione pendet: parebit facile, illam hac longe esse maiorem.

§. XVIII.

Conclusio.

In tanto exemplorum, quibus euicta thesis corroborari potest, numero, plura praeter allata mihi quae adducere possem, non deficiunt. Possem de lympha, sanguine, materia perspirabili, salua et vrina exempla adferre, haecque inter se fusiore sermone comparare. Quum vero necessitas et res, quae circumstant, sermonis mihi imponant breuitatem: scriptiunculam hanc hic finio.


B. L. enixe rogans, velit mihi ob commissa forsitan vitia et errata veniam humaniter concedere.




01 A 6528

ULB Halle 3
002 928 698







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
 QVA DEMONSTRATUR
DEBILITATEM
A PROFUSA FLUIDORVM
 EVACVATIONE ENATAM
 EORVM COCTIONI SEMPER ESSE
 PROPORCIONATAM.

QVAM
 FAVENTE SVMMO NVMINE
 PRAESIDE
 VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO
DN. FRID. CHRIST. IVNCKERO
 PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
 HVIVSQVE PROFESSORE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII
 AC ORPHANOTROPHEI HALENS. MEDICO
 PRACTICO CONSTITVTO
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRO GRADV DOCTORIS
 SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
 RITE OBTINENDIS

AD DIEM VI. NOV. MDCCLXV.
 PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
ALBERTVS GOSWINVS WALTHER
 SVSATO-GVESTPHALVS.



HALAE AD SALAM AERE STEPHANIANO.

